



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 18. Alia Cæsaris oratio ad Filium suum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.

A. C. 1555

§. XVIII.

Alia Cæsaris oratio ad Filium suum.

Tandem sermonem convertens ad Filium suum, ita prosequeretur: Si hæc Provinciarum possessio ad te morte mea pervenisset; meritis aliquid essem apud te filium meum relicto tam opulento, auctoque per me patrimonio: Nunc, quando non necessitatis hæc, sed voluntatis hæreditas est, & præmori Patrem libuit, ut mortis beneficium anteverterem, quidquid mihi pro hac anticipati temporis usura plus debes, id in horum amorem, curamque populorum ut transferas, jure postulo. Reliqui Reges se filiis vitam tradere & regna se tradituros gaudent. Ego posthimum hoc donum præripere fato volui, geminatum gaudium arbitratus, si te non magis viventem ex me, quam ex me regnantem vivus aspicerem. Exemplum hoc meum pauci imitabuntur, nam & Ego, quem sequerer, ex omni retro antiquitate vix habui: laudabunt certe consilium, ubi te dignum comperient, in quo prima hæc documenta monstrarentur. Id efficies, si quam adhuc coluisti Sapientiam, si Dominatoris omnium timorem, si Catholice Religionis patrocinium, si juris, legumque tutelam, vera utique Regnorum firmamenta, perpetuo retinueris. Unum superest, quod voveam ad extremum Pater, ut tibi proles hujusmodi adolescat, in quam  
regna



*regna libere transferre possis, sed necesse non* Sæcul. XVI.  
*habeas.* A.C. 1555.

Hæc effatus Imperator procumbentem in genua filium, poscentemque Patris dexteram arcte complectitur, ac coelestem illi opem, imposta ejus capiti manu, pie, paterneque precatus subortis lacrymis substitit, ex eorumque, qui aderant, oculis ubertim lacrymas expressit. Tum Philippus & reverenter osculatus Patris dexteram, & humaniter Belgarum Ordinibus assurgens, excusata apud eos Gallicæ Linqæ ignoratione, jussit pro se id muneris exequi Antonium Perenottum Granvellanum Atrebatensem Antistitem, qui Regis mentem prout gratam in Parentem, ita paternis monitis, exemplisque animatam erga Belgarum populos, differatissima est oratione interpretatus: Jacobus vero Masius juris, & eloquentiæ consultus, Ordinum Belgarum nomine respondit, tandem autem, cum Maria Hungariæ Regina Belgii gubernationem, quam annos quinque, ac viginti pro Cæsare fratre obtinuerat, ejurasset, eo die confessus dimissus est: Carolus tamen valedicens hæc subjunxit verba:

„Filioli mei, cor meum commotum  
„sentio, ac non sine dolore vos relin-  
„quo : „ his dictis conversus ad Philip-  
pum Filium suum, ejus benevolentia



Sæcul. XVI. Franciscum de Erafo Moralesiæ Com-  
A.C. 1555. mendatorem commendabat, hæc sub-  
 jungens: totum, quod tibi cessi, hujus  
 „famuli pretio non æquivalet.,” Duo-  
 bus dein mensibus interjectis, majori  
 adhuc hominum celebritate, cum fama  
 latius emanasset, Regnis, Provinciis,  
 Insulisque tam in nostro, quam in novo  
 terrarum orbe exuens se Cæsar, eorum  
 semel omnium possessionem, ac jura Phi-  
 lippo filio addixit.

## §. XIX.

*Augustus Saxonix Elector Augustan-  
 nis comitiis interesse recusans.*

*Steidan.*

*comm. l. 26.*

Cum interea hæc Bruxellis gereren-  
 tur, Ferdinandus Romanorum Rex  
 Augustam delatus comitiis eo convo-  
 catis præerat, atque Imperii Princi-  
 pes, ut ad illa accederent, summis  
 precibus sollicitabat, præcipue vero Au-  
 gustum Saxonix Electorem, qui tamen  
 jam antea, quo minus venire posset,  
 sese excusabat, obtendens Saxonix sta-  
 tum non satis tranquillum, præter exi-  
 guam spem, quod tandem Religionis  
 dissidia tolli possent, cum Catholici fu-  
 nesto prorsus conatu Confessionem Au-  
 gustanam vehementer impugnent, quam-  
 vis certo scire deberent, ut inquebat  
 Elector, librum hunc esse purum, &  
 pium scriptum, illoque Filium Dei Sa-  
 lutis